DE OBITU GENEROSI ET ILLUSTRIS DOMINI, DOMINI CHUNRADI, COMITIS A' SOLMS, DOMINI Mintzenbergę & Sonnenvvalthi &c. qui anno reparatæ ſalutis humanæ cIↄ Iↄ xcII. ſext. Calendarum Januarii, Salvatori noſtro animam promtiſſimé reddidit:

SULMENSIS COMITATUS QUERELA.

QVis mihi nũc gemitus, quis dignos ſuggerat im-
Ad tumulũ flenti vir generoſe tuum? (bres
Hectora magnanimum deflevit Troja peremtum:
Peliden luxit Græcia tota Ducem.
Et pia Penelope lentum deflevit Vlyſſem:
Quo cadit Argivûm parta viget q̃ ſalus.
At me Trojano dolor urget funere major:
Et Grajo gravior cura dolore quatit.
Invictis illi pepulerunt viribus hoſtes,
Defenſor populi fidus uterq; ſui.
Aſt meus hic armis non ſaltem contudit arma,
Nec preſſit ſævos Marte furente Getas.

D

Sed quoq; divini defensor Numinis, ora
Inferni pro me contudit ille lupi.
Armis externis fortis fuit Hector: at hicce
Certavit clypeo, relligione, fide.
Quis gemitus igitur, quis dignos suggerat imbres,
Ad tumulum lachrymas quis generose dabit?
Inclytus ille armis, nulli pietate secundus
Felici fecit currere cuncta viâ.
Nam Christi sceptro sua mox insignia supplex
Subjecit, verbi munere lætus ovans.
Et tua mersissent mysteria quando tenebris
Brentius, & spirans magna, Luthere, Faber:
Ecce superstitio, quæ ludit imagine falsa
Absit ait: verbo nitere, tutus eris.
Ex templó é templis idola recedite, dixit:
Tuq; superstitio cede prophana procul.
In templis resonet Domini vox una, Papale
Fermentum pereat, glossaq; dispereat.
Quis Styga confudit cœli cum sede superna
Brentius, & Brontes, multiloquúsve Faber:
Ista suos quærant authores, sintq; remota
Votis á feris, ritibus atq; piis.
Fœdera sacra Dei verbo subnixa salubri
Inquinet obscuri nulla litura viri.

Reformatio religionis.

Sic

Sic ait: hancq́ fidem fecit plantare miniſtros
Simplicitate pia, ſedulitate gravi:
Hancq́, licet reprobo fuerit confuſa tumultu
Sæpiús, infracto pectore ſuſtinuit.
Sic coluiſſe Deum verâ pietate juvabat:
Et formaſſe ſuos relligione pia.
Mens erat hæc populo recti ſolatia verbi
Pectore ſyncero propoſuiſſe rudi.
Nec fraus, nec gladius, nec vani gloria mundi
Illius potuit vi ſuperare fidem.
Huic fidei ſacræ, ſacræ quoq́ Palladis artes
Sedulus adjunxit: conſtituendo ſcholas.
Norat enim Comes hic, fidei ſine Pallade nullum
Stare locum: cupiens eſſe utriuſq́ parens.
Sumtibus ac magnis aperit hinc inde Lycea:
Principium Sophiæ quod ſolet eſſe piæ.
Ipſe fori ſtudium ſimili paritate ſecutus
Rectis perplacidus, ſontibus aſper erat.
Et rexit tutas placidis ſub legibus oras
Jungens cum ſumma nobilitate fidem.
Sobrius, in vita luxum contemſit inertem:
Omnibus in rebus ſubſidioq́ pius.
Non illum vano tumefacta ſuperbia flatu
Movit, & ingenii mobilis aura levis.

Scholarum fundator.

Adminiſtratio politica.

Hujus at illustrem divina modestia vitam
Ornavit, Christo quæ placuisse solet.
Pauperibus largus, fidus verbiq; ministris:
Syncera observans relligione viros.
Hic heros terram Domino mandante reliquit,
Amisit fidum patria nostra patrem.
Amisit similes hoc tempore patria patres,
Scilicet egregios relligione duces.
Et tamen hæc inter stertit malesana, nec unquam
Sanctiús ut vivat flectitur illa malis.
Scilicet hos Dominus transfert ad gaudia regni:
Quos odit mundi turba profana levis.
Eripit Heroas poterant qui jura tueri,
Et justas pœnas imposuisse malis,
Ultricem videant mœsto ne lumine pœnam,
Obruit iratus qua malefacta Deus.
Cæca quid hæc inter stertis mea patria demens?
Annón quæ veniant sæva pericla vides?
Tollit enim facilis Domini clementia sanctos,
Ne videant quæ sit pœna parata tibi.
Eripit hos Dominus: nec quis considerat, illud,
Quæ mala portendat, damnaq; quanta ferat.
O turpes hominum mores, ô saxea corda,
Quos præsens clades non monet atq; movet!

Quiq;

Quiq́ nec irati perpendunt verbera patris,
Nec curant ſuperi nuncia ſancta Dei.
Pulvere tinge caput, lachrymas Vedoravia funde
Gens dilecta Deo: pulvere tinge caput.
Exue lætitiæ veſtes, incumbe dolori:
Suſpirans lachrymis ora genasq́ riga.
Veſter enim cecidit Dominus, mandante ſupremo,
Perdidit ah fidum patria noſtra patrem.
Sic opis humanæ, nil firmi reſtat in orbe:
Ad tua confugio maxime caſtra Deus.
Tu miſeræ triſtes clementer reſpice luctus,
Lumen, & erepto pro Duce, mitte novum.
Nunc mihi dilecti placidé requieſcite manes,
Hæc teſtis fletus eſto querela mei.
Quam ſi quando piæ videat ſtirps poſtera gentis,
Magna ſub hoc (dicat) marmore fama jacet.
Magnanimus vivens Comes hic, ſed maximus ipſa
Morte fuit, major, quando redibit, erit.

Quinto Martii anno cIↄ Iↄ xcIII.

Chunrad. VVolf, D. f.